V.P.F. IOANNIS DVNS SCOTI. DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

ELOGIVM.

HIc penè antè subtilis fuit, quam homo esset.
Occultauit patriam suam dum nascitur, vt subtiliter nasci posset.
Tria regna de eo sic disputant, vt nullibi ferè natus sit, dum vbiq; nascitur.
Cessate lites, ibi Scoto patria est, vnde illi subtilitas venit.
Subtilitatem infans ab ea petijt, quæ subtilis esse debuit, vt Dei-para esset.
Accepit eâ lege, vt subtilitatem conceptæ Matris defenderet.
Inde illi subtilitas tanta, vt ipsum etiam nomen subtile sit.
Nec alius esse debuit alumnus Virginis, & futurus patronus.
Philosophiam sic excoluit, vt eius inuentor esse posset, nisi natam inuenisset
Ita Aristotelis discipulus, vt doceri ab eo Aristoteles vellet, si viueret.
In Theologia æquauit S. Thomam, dum superare non potuit.
Et ne vnicus Theologiæ Princeps esset, eam in duo regna diuisit.
Mysteria fidei Christianæ ita sciuit, vt penè non crederet.
Extinxisset scientia fidem, nisi cæca simul & oculata esse posset.
Naturam DEI ita descripsit, quasi aspexisset.
Arcana sapientiæ diuinæ, quasi penetrasset.
Delicias alterius vitæ, quasi expertus esset.
Atque hæc omnia tam subtiliter, vt crederes vsum radijs Solis, nisi Scotus esset.
Sed nihil melius probauit acumen Scoti, quam subtilitas conceptæ Virginis.
Agitabatur à filijs origo Matris, quam Scotus impuram nolebat, ne Deum inficeret.
Ducenta aduersariorum argumenta ita repetijt, vt dubitatum sit, an Deus suggereret,
Ita dissoluit, vt nemo dubitarit, quin Deus cum homine responderet.
Adduxit rationes tam sacras, vt in eius verba Sorbona iurauerit.
Decretum est ne quis admitteretur ad lauream, nisi hac in parte Scotista esset.
Adiectum est votum celebrandæ Conceptionis, vt quotannis cum Virgine Scotus triumpharet.
Non arrogauit sibi eam victoriam, quam miraculum pepererat.
Dum ad pugnam pergit, orauit Virginem in Imagine, & Imago respondit.
Inclinauit caput Imago saxea, vt opem annueret.
Adhuc perseuerat inclinatio, ne quis de antiqua victoria dubitet, quæ quotidie noua est.
Attollere hæc omnia Scotum poterant, nisi Minorita esset.
Coloniam destinatus, vt ibi sapientiæ coloniam institueret.
Perrexit insalutatis Parisijs, vt obedientia cæca esset,
Ibat pedes vir triumpho dignus, satis oneratus Scoto, nisi subtilis esset.
Progressa obuiam Colonia, eò maiorem venerata est, quò aspexit Minorem.
Redintegratæ Conceptionis pugna renouauit victoriam.
Vicit discipulos Coloniæ, qui Parisijs magistros vicerat.
Non incruenta tamen victoria, dum post pugnam interijt.
Martyr Conceptæ Virginis appellandus, seu merita vitæ seu mortis calumnias spectes.
Tu ne fabulis credas, miracula consule,
Et mirare ingenium Scoti, dum mortem occultauit, qui natales celauerat.
Tam acutè interijt, vt adhuc de mortis genere dubitetur.
Scilicet subtiliter mori voluit, quia subtiliter natus erat.
Ipse etiam mortis annus incertus est, vt sit ætas tota subtilis,
Illud certum, paucis annis tam multa scripsisse, vt ijs legendis vix alter sufficiat.
Pugnat voluminibus cum Thomâ, scripturus plura, si scripsisset minùs subtiliter.
Vterque Doctor, ille Angelicus, hic subtilis.
Sed hic subtilis esse non posset, nisi Angelicus esset.

Concinnabat quidam Societatis JESU Theologus.

Ex Typographia Immaculatæ Conceptionis, sub signo Gratiæ. Anno 1662.

70